

Johann Simonius

**IMPERATORIS || MANVELIS PALAEOLOGI Aug.|| PRINCEPS.|| ORATIO,|| Qua  
filium JOANNEM ad Eloquentiae stu-||dium Pater CAES. MANVEL || hortatur:  
de#[que] Virtute ac bono || Principe disserit;|| Carmine Heroico versa à || M.  
IOANNE SIMONIO.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1593

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1742245463>

Druck Freier  Zugang



Cq - 59<sup>20</sup>







IMPERATORIS  
MANVELIS PALÆOLOGI *Aug.*  
PRINCEPS.

ORATIO,

*Qua filium JOANNEM ad Eloquentia stu-*  
*dium Pater CÆS. MANVEL*  
*hortatur: deq; Virtute ac bono*  
*Principe differit;*

*Carmine Heroico versa à*  
*M. IOANNE SIMONIO.*




R O S T O C H I I

Typis Myliandrlnis,  
Anno cl. Is. xcIII.

*Cg-59 20*

*J. D. Christophorus Viro Dno  
Joanni Baccmeistero M. amico  
colen*





PHOENIX AD ACHILLEM.

Ιλιαδ. ι.

ὅτεσ' ἐν Φθίῃσιν ἀγαμέμνονι πέμπ  
Νήπιον, οὐκ εἰδὸθ' ὁμοίῃσιν πολέμοιο,  
οὐδ' ἀγοράων, ἵνα τ' ἀνδρες ἀριπρεπέες τιλέθουσι.  
Τοῦνεκά με προσέειπε, διδασκόμεναι τὰδε πάντῃα,  
Μῦθων τε ῥήτηρ' ἔμεναι. περ κλήρα τέ ἐργων.

CÆS. MANVEL PALÆOL.

ὥστε δὲ τὸ ἀγαθὸν ἀρχοῦντα, καὶ ἀγαθῶν ἡνῶν ἀρετῶν  
μενοι, καὶ τὰ πρὸς λόγους ἀγαθὸν εἶναι, ἵνα ἔχοι πείθειν  
αὐτοῦς, ἐφ' οἷς ἂν βέλλιον εἴη πράττειν; ἵνα μὴ Χρησὺς  
μοι εἴη, Χρησίων δ' ἀρχὴ, ἀφωριάζοντάς δ' ἑμῶς ἔχων  
αὐτοῦς, καὶ μὴ ἐκόντας οἷς γνώη, πρὸς τῶν σφετέ-  
ρων αὐτῶν ὠφέλιαν, οὐδὲν ἐκείνους ὀνήση.





32

Illustrissimo Principi ac Domino, Domino VLTRICO  
Duci Megapolitano, Principi vetustæ gentis He-  
netæ, comiti Suerinensi, Rostochj & Star-  
gardia Domino, Domino suo  
clementissimo.

**I**llustrissime Princeps ac Domine, Domine clementissime.  
Semper viri in Rebuspub. πολιτικώτεροι, in recta juventutis  
institutione judicârunt momenta ad conservandas civitates esse  
maxima, ideocq; de ratione, qua imberbis ætas ad boni civis of-  
ficium informaretur, præcipuè cogitarunt, atq; in ea apprimè elab-  
orârunt. Sic Persicas leges à cura publicæ utilitatis, ab educa-  
tione nimirum liberorum initium fecisse accepimus. Sic Lycur-  
gum, Lacedæmoniorum Legislatorem, civibus suis vim atq; ne-  
cessitatem primæ & bonæ institutionis duobus in medium pro-  
ductis catulis, ad diversa studia assuefactis, persuasisse legimus.  
Inprimis verò cordati Principes semper omni contentione in id  
incubuerunt, ut quibus rem & imperium non multo post essent  
concessuri, ij quam optimis & saluberrimis civilis doctrinæ præ-  
ceptis in prima statim adolescentia erudirentur. Est enim Prin-  
ceps, teste Aristotele, eodem plane modo instituendus, atq;  
præstans aliquis optimæ Reipub. civis; quem ajunt oportere  
*Μῦθων τ' ῥητῶν ἔμεναι, προηκίηρά τε ἔργων.* Quocirca omni laude  
major est MANVEL, insigne Palæologini sanguinis lumen,  
temporibus Baiazeti primi, & Tamerlanis Scythæ Imperator  
Byzantinus, summi ingenij, summaq; doctrinæ Princeps; qui  
inter τὰς ἰσταν πραγμάτων, ut ipse loquitur, *νικαδάσ*, negotiorumq;  
nimbos, nihil potius nihilq; in consilijs habuit antiquius, quam  
ut ejusmodi honesti præcepta filio suo IOANNI traderet, quæ  
omnem & ipsius & regionum liberorum ætatem tum ad pieta-  
tem immortalitatemq; instituerent, tum fortunæ varietatem in-  
constantiamq; æquo perferre animo docerent, quæ utinam præ-  
cepta Herôum filij sibi commendatissima esse paterentur omnes!

A 2

nam



nam & cum auctoritate; id quod in fingendis iuvenum, & præcipuè potentiorum ingenijs vim fanè permagnam habere Palæologus aſſumat; loquuntur; & liberè & fideliter & confidenter præcipiunt; utpote ab Imperatore ad eū, quem detrectare imperium fas non erat, à Patre ad Filium, ab amico ad amiſſimum profecta. Tanti principis orationem primam, qua filium ad Eloquentiæ ſtudium hortatur, deq; virtute ac bono Principe diſſerit, ſuperioribus diebus carmine heroicò verti; non quidem ut verbum verbo reddiderim, neq; ita ut interpretes ſolent, ſed ut ex ea, arbitrio meo, quantum viſum foret, haurirem. Hoc quodcumq; eſt, Illuſtriſſime Princeps, ſub auſpicijs Illmæ. Celsi V. in publicum extrudere volui, quod V. C. quali Manuel ille Diuus erga filium fuit, tali erga nepotem ſuum Illuſt. principem VLricum Noruegiæ heredem, adoleſcentem verè regium & ad maiora natum, animo eſſe affectam conſtat, & eſt in confeſſo. Quem quidē C. V. cum alijs ſic inſtitui curat, ut verborum orator, actorq; rerum evadat, omninoq; vult, ut heroicus ille Magni Patris, magniq; Avi filius & nepos ſaluberrimis προς πολιτικην μάθησιν præceptionibus excultus, ſic ad remp. capeſſendam paulò poſt accedat, ut non inanis gloriæ ſtudio ad oſtentionem, nec lucri cupiditate quaſi ad auream meſſem & mercatorias nundinas; nec ut priuatim amicis conſulat, aut inimicos animi gratia ulciſcatur, nec otij leuandi cauſa, nec cœco fortunæ ductu, in tam celebrem palæſtram deſcendiſſe aliquando videatur; ſed honeſto propoſito fine, & animo in Reipub. caritatem confirmato, ut eum ſuſcepti negotij nunq; pudeat, pœniteat, tædeat. Hunc ergo meū qualemcumq; laborem, ut illuſtriſſima Celsi veſtra clementiſſimo ſuo patrocinio complecti non dedignetur, reverenter & ſubmiſſe oro. Deumq; rogo, ut C. V. cum Illuſtriſſima coniuge diu florentem & vegetam conſeruet. Rostochio 13 Kal. Octobr. anno Epochæ Chriſtianæ 1593.

V. C.

Subiectiſſimus ſclienſ

IOHANNES SIMONIVS.





Princeps Imp. Cas.  
MANVELIS PALAEOLOGI



*Aud quicquam maius VERO. pra-  
clarior autem  
Aut illo potius nil est, nam Rector O-  
lympi*

*Hanc genuit terris Divam, qua VERA per omnem  
Vitam investigat, retinet, fovet atq; tuetur.  
Quam nobis cupiens ereptam subdolos anguis,  
Inventor scelerum, tenebrosa nocte Tyrannus,  
Mendacem terris Pandoram fraude maligna  
Fmmisit. Sed Spes haerens in pixidis imo,  
Hac facit, ut raros in vasto gurgite nantes  
Conspicias, qui Vera adament faciantq; colantq;  
Hos inter sunt Magnum equis qui Legibus orbem  
Astringunt, rerumq; Boni moderantur habenas.  
Hi mentis graue pondus habent, hi publica curant  
Commoda, perpetuoq; Bonum sectantur amore.  
Horum Perpetuum VERO redimita coruscant  
Tempora, quin fasces illorum & sceptrum superba  
Evibrant verum. VERUM thronus Induperantium.*

A 3

Illis



Illis nulla magis rex expedit, aut mage lucro  
Nil est, quam sapiens culta facundia lingua.  
Namq; his instructus studijs ac moribus Heros,  
Nil Asias formidat opes, Arabumve beatos  
Thesuros. non funestis confertus in armis  
Miles eum terret. non Lydi Pala Tyranni.  
Quin Cræsum superat vi Gaza, milite Xerxen;  
Teq; malum Gygen non ficto robore vincit.

Magnum Divitia atq; auri congestus aceruus  
Præsidium sunt imperio, regnumq; tenenti.  
Namq; gerendarum rerum momenta ferè uno hoc  
Cardine versantur nunc, cum verè aurea secla  
Existant, ubi non agitur virtute, sed auro:  
Non pietate nec ingenio: decernitur auro.  
Major thesaurus regni, majusq; Regenti  
Præsidium, Pietas, Fandi prudentia, Recti  
Et veri studium, civesq; amor arctus in omnes.  
Hæc faciunt regnum immotum, fascesq; thronumq;  
Confirmant, ac se maior sit Principe Princeps.  
Non aurum, non quod sitiens ebur India mittit,  
Non pecoris numerosa cohors, non pascua læta,  
Pascua, qua Lyris tacitis circum fluit undis,  
Conseruare valent regnum & regno Induperantè.

Ni



Ni Princeps est qui populi iuga flectit habentis,  
Sit sapiens, sua viq; oris dulcedine praestet.

Nam Cræsum tantis quid fascibus exiit? Aurū.  
Fulva etenim massa damnosa superbia juncta est:  
Estq; gerens tumidos flatu in pectore stultus.

Cræsum igitur tam magnis fascibus exiit Aurum,  
Stulticiam gignens, quod dementauerat ipsum  
Sic, ut laudatæ Virtutis gratia grata

Ipsi non esset; non in virtute repostum  
Esse putanti aliquid, quod vel decus addere Regi,  
Praesidiove queat, ceu muro, cingere Regnum.

Omnis sed Cræso fiducia stabat in auro.  
Illi spes, aurum. DEUS, aurum. Vita beata, (quo  
Aurum, Mars aurum, cuncta Aurum cetera, qua  
Cunq; modo expediūda foret. sed quod tamē Aurū?

Quod latitans possessorem pessundedit Aurum.  
Non secus ac scopulus, quem vis ponti obruit alta,  
Ille latet sub aquis, nec nauta cernitur vlli.

At cum se ventis commiserit unda coortis,  
Iamq; inter sese fulgentia praelia fratres  
Miscunt, inq; polum tollunt cum turbine pontum.  
Tum qui hinc atq; hinc disiectus fuit aequore toto,  
Nec pauidum potuit nautam saluare, Phaselus,

In



In scopulum fertur praeceps, atq; impete vasto  
Concussas laterum tabulas prosternit in undas.  
Sic Cræsum perstrinxit opum furiosa Cupido,  
Omnes ut contra ventoso corde tumeret.  
Nec verò poterat quæ tandem cumq; superbos  
Sors maneat, nec quod rapidis fortuna quadrigis  
Invehitur, quæ summa imis atq; ima supremis  
Miscet, prospicere. in tantum scelerata libido  
Nummi mentem eius tenebris involverat atris.  
Mors igitur fuit ipsi Aurum: subversio regni  
Aurum. sic Dominum nummi res mortua perdit  
Sæpe suum. Quod si divina voce SOLONIS  
Admonitus Cræsus stolido de pectore stultas  
Excussisset opes, & veras corde verendo  
Concepisset opes, non regno exutus a vito,  
Impositusq; rogo flammæ sensisset; at ille  
Consilium sapiens, magni monitusq; SOLONIS  
Respuit. Haud facile est, ut, quos semel occupat aurum  
Imperiosa famas, præter quod nutriat ipsam  
Admittant aliquid. Sed quid cum Divite Divus,  
Cum stulto sapiens cordata est mente locutus?  
Nam pietate Solon & rebus maximus actis  
Venerat ad Cræsum, Lydiæ qui sceptrâ tenebat.

Verum



32

Verum longè aliter sua carmina Palladis ales  
Plangit. longè aliter metuenda inuisa Minerva  
Cornicatur a vis. num quisquam credere possit,  
Voce coturnicis quod Psittacus ipse loquatur?  
Auri mancipium Cræsus, flauo ebruius auro,  
Difficilis; tumidus; virtutis temtor; amator  
Stulticia; sapientis opes pro crimine ducens;  
Nil aurum præter factis atq; ore crepabat.  
Magnanimus, sapiensq; SOLON, acerrimus osor  
Stulticia, virtutis amans, facilisq; bonusq;  
Libera paupertas cui toto carior auro:  
Pectora qui patriæ curis exercita habebat:  
Nil præter verum factis referebat & ore.  
Illam cum traheret non sano pectore mentem  
Rex vecors. ergo stellantes undiq; gemmas  
Induitur. pictæ radiabant murice vestes,  
Auro intertexto undantes, clarisq; Smaragdus.  
Ipsa coruscabat, flammæ imitante, Pyropo  
Regia. iamq; suos aliquis quò vertere oculos,  
Aut illic Veneres Cor spectabat Apellis,  
Arte vè Lysippi, varijs, simulcra, figuris,  
Concinnata, aut Praxiteles quæ marmore duxit.  
Post quo non melior quisq; nec amantior equi

B

Vir



Vir fuit, ad sese magnum invitare Solona.  
 Nam sat agebat eum stupefactum reddere tanto  
 Ornatu Cræsus: quo non erat acrior auri  
 Contemptor: qui non, vel si Bercynthius Heros  
 Structuram Serpentigerum, cum ad sydera montes  
 Congerent, regnumq; Iovis cæleste Gigantes  
 Impeterent, longè effrenes, multumq; superbi,  
 Aurum finxisset, motus quicquam inde fuisset.  
 Quin stultas sordes, & inepti emblemata Regis  
 Tantum splendorem sapienti corde putabat.  
 Hoc animadvertens Rex, vasto plumbeus auro,  
 Concutiens caput insulsum: an tibi quis me, ait, unq;  
 O hospes, visus qui fortunatior esset?  
 Hic sapiens: Novi Tellum, qui, cretus Athenis,  
 Ingenua postquam gnatos instruxerat arte,  
 Innocuosq; suæ vitæ traduxerat annos,  
 Tandem pro patria pugnans per vulnera pulchrâ  
 Oppetijt mortem. Hic, REX, fortunatior ipso  
 Te fuit. huic contra Lydus flavo ebrius auro:  
 Ergo felices inter tibi Graculus omnes  
 Primus erit, tua quæ est sapida prudentia mentis?  
 Verùm nunquid habes, cui des quoq; ritè secundas?  
 Immo, inquit Sapiens: habeo Cleobum atq; Bitonem,  
Fra-



32

*Fratres corporibus binos, at mentibus unum:  
Quorum cum genetrix peteret Iunonia curru  
Templa, bovesq; jugo lassum subducere collum  
Inciperent, ipsi reverenter dulce subibant  
Matris onus, currumq; ad publica thura trahebāt.  
Pòst magna Diva sacris, epulisq; peractis,  
Noctem ipsam subitis liquerunt lumina fatis.  
Felices anima, famâ super aethera nota!  
Nam vobis Divum dono, votisq; parentis  
Obtigit, absq; ullo gemitu succumbere morti,  
Et nunc clarorum volitare per ora virorum.*

*Non tulit ulterius dictantem tale SOLONA  
Vir Lydus. sed tristi irarum percitus æstro  
Intonat. in nulla ergo, Hospes, me sorte reponis?  
Tum sapiens: O Rex, Asiae magne Induperator!  
An nescis? quantis exposita hac vita periculis,  
Fortuna varijs malè casibus usq; rotetur?  
Inq; vicem subeant sortis fatiq; labores?  
Illa virum obscurum, cui solo cespite tota  
Construitur domus, & pauper qui cultor agelli est,  
Evehit, atq; opibus Pactoli & honoribus auget.  
Illa eadem latè regem, gazisq; superbum  
Deprimit, adversa permutans sorte secundam.*

*Hinc*



Huic si quis nimium confidat, non magis prudens  
Is fuerit, quam qui ferrum, quod subdolis hostis  
Obtulerat, recipit, vel fracta innititur basia.

Ast qui fortuna superato turbine vitam  
Tranquillus clausit: verè illum dico Beatum.

Nam veluti, si qui cursores Isthmia currant,  
Certa prius fieri nequeunt praconia, quisnam  
Laude pedum superet, quam signum sit superatum,  
Propterea spacium quod decurrentibus istud  
Innumeri variq; queant contingere lapsus.

Ast ubi jam fuerit decursa novissima meta,  
Tum verò ingenti resonant spectacula plausu,  
Atq; acceptat ovans sua pinea premia Victor.  
Haud aliter nemo debet dici antè Beatus,  
Quàm vacuas placide fuerit dilapsus in auras.

Sape etenim fit, qui latis insignia facta  
Auspicijs est ingressus, cum vivere vitam  
Iam se velle putat florentem atq; omnibus usq;  
Casibus exceptam, subito hic in limine primo  
Occidat, aut medio cursu Sors opprimat ipsum,  
Anteq; succumbat, quam possit cernere metam.

Hæc sapiens. at quis sapiens? quem Græcia tota  
Suspexit coluitq; unum; quemq; aurea Athene,

Vrbs



32

Vrbs quamq̄ tum plena viris, quos secla futura  
Miramur, tamen hunc oculis animoq̄, Solonem  
Vnum spectabant, in vultibus unius hujus  
Harebant, hunc officijs studijsq̄, colebant.  
Non quod ei dives cultarum copia rerum  
Afflueret. solos equidem nunc tempora nostra  
Suspiciuntq̄, coluntq̄, Midas. virtus jacet omnis.  
Aut quod muneribus captasset mobile vulgus.  
Aut artem quod reppererit quam Mercurialem,  
Auspicijs cuius ciues ditescere possent.  
Longe alia est ratio. nam diuum pectus honestis  
Artibus instructum & sapientia corda gerebat.  
Vnde quidem sacrum, prudens, grave depromebat  
Consilium semper, ceu quodam gurgite vasto.  
Hinc itaq̄, effectum est, quos Graci tempore nullo  
Majores factis habuere, magisq̄, refertos  
Pulcrarum rerum splendore, hos inter ut omnes  
Totius ille unus mundi claresceret oris.  
Hinc, cum in preclara Tritonidis urbe coorta  
Esset seditio, propter multum immoderatas  
Vsuras, & quas roseo Draco sanguine leges  
Scripserat. ac iam Cecropida omni a parte feroces  
Se condensarent, atq̄, indignantia verba

B 3

Miss-



Missarent, jam jam missuri saxa facesq̃,  
Moles tanta mali à solo discussa Solone est.  
Cujus permissum fuerat fidei arbitrioq̃,  
Turpia legitimis concludere fœnora metis,  
Palladiasq̃ bonis comprehendere legibus arces.  
Qui quoq̃ legitimis conclusit fœnora metis,  
Palladiasq̃ bonis comprehendit Legibus arces.  
Nam cùm, vivorum qui glubunt corpora, Avari  
Consuessent ortis orituros nec̃tere fructus,  
Sicq̃ exhaurirent cives, & nexibus urbem  
Implerent, finem hunc prudens circumdedit illis,  
Vt non plus quam usurarum dissolveret assem  
Debitor. hac dicta est Centesima, nomine factò  
Hinc, quod cum menses transverit ordine centum  
Pulcra soror Phœbi, qua noctis temperat horas,  
Usura exaquent sortem. neq̃ nomina propter  
Servitium quisquam porro pateretur iniquum.  
Dêin, quoniam veteres rapiebant omnia Leges  
Ad mortem delicta: Solon sic leniit illas,  
Vt pœnas inter civiles & capitales  
Iustum discrimen faceret. de cade Draconis  
Legibus exceptis tantum, nam casibus istis  
Majori pœna est opus & graviore rigore.

Est



Est verò Legum series benè longa Solonis:  
 Quas nostra cunctas quam possem voce referre,  
 Occiduo ante suos Sol mergeret aquare currus.  
 Tres tamen ex omni numero sunt nomine primæ,  
 Quas cuncti scriptis laudant, ac ore celebrant.  
 Quarum prima vetat, nisi cum discrimine vita  
 Neutrale[m] quemquam esse, ubi conjurata feroces  
 Excitat ira viros. nam cum mala publica dulcem  
 Exercent patriam, sensu decet illius omnes  
 Afficiere cives, atq[ue] ejus prima putare  
 Commoda: nec quenquam soli sibi ducere natum.  
 Desidiam prohibet tanto Lex altera Zelo,  
 Ut qui frugiferos impresso vomere campos  
 Non coleret, vel quoddã aliud sequeretur honestis  
 Artis opus, ter convictus, quod turpia segnis  
 Ocia tractaret, punctum hic infame subiret.  
 Nempe animum vetitas cessatio ducit in artes.  
 Mortalesq[ue] nihil faciendo pessima discunt.  
 Nam cum mens hominis divina particula aura,  
 Perpetuumq[ue] sit efficiens, quod nescit eodem  
 Stare loco, sed semper agit semperq[ue] operatur,  
 Atq[ue] ex uno alium semper contendit in actum.  
 Fit, sicãdo in rebus se non exercet honestis.

Tur-



Turpiter ut culpas tum se provolvat in omnes.  
Tertia Lex non permittit convicia dira  
Conjicere in quenquam, gelido quem funere raptum  
Jam tenet alta quies. nam crimina dicere bustis  
Nec sanctum, neque civile est, & ab omni alienum  
Iusticia. Scelus est, majus feritate ferina,  
Quae bene de multis meruerunt, funera caecis  
Scrobibus eruere, & truculenter pascier illis.

Tanto autem reliquis praestant decreta Solonis,  
Quantò alias stellas caput effert Syrius inter.  
Testis erit pater eloquij, magnusque Magister  
Dicendi, qui tali istas sermone celebrat  
Leges. quippe fremant omnes, quod sentio dicam:  
Cunctorum, qui praclare quicquam sapuerunt,  
Aut immortalem Sophia sunt lauream adepti,  
Illorum cunctas, caelum, mare, sidera testor,  
Artes, quas scriptis comprehensas posteritati  
Servarunt, superant, si quod mihi Iudicium, illa  
Bis sena tabula, si legum respiciamus  
Fontes. sed qua re superant? grave eisdem  
Rerum pondus inest, & magni copia fructus.  
Tullius haec. quibus ex Divo illud Iustiniano:  
Qui vastum juris pelagus sapienter in arctas

Oras



Oras conclusit diuinus Iustinianus:

Addimus; in pejus cum Romulea ruerent jam  
Res gentis, post exactum eiectionq; superbum  
Tarquinium, à Patribus missos, qui poscere leges  
Cecropidas nosset, acceptasq; inde referrent.  
Et fundasse suam Romanos legibus istis  
Urbem, quas tantum iusserunt instar habere,  
Ut, ciues si quando fori angusta premerent res,  
Cetera corrigerent, aperirent, enuclearent  
Iura Solonigena Leges, necq; inde liceret  
Iudicium ad majus cuiquam secedere civi.

Ergo tantus erat Sapiens: quem Lydius Heros,  
Ebrius innumeris opibus, praclara monentem  
Contempsit. Crasq; Solon projector alga  
Extitit, aut qua salsa jocis per compita passim  
Fabula cantando teritur, quam scurra per omnes  
Exagitat vicos prorsum antrorsumq; trahendo.

Sed tandem, meruit quas, poenas ebrius auro  
Rex dedit. haud facilem vesana superbia finem  
Sortitur, sequiturq; grauis Rhamnusia stultos.  
Ergo ubiq; se suumq; satis Rex Lydius esset  
Aurum miratus, tum verò triste parabat  
Bellum inferre viro, factis super astra celebri.

C

Nam



Nam Lydo cum nulla domi res expediunda est,  
Ecce foras egressus rem sibi conficit ipse.  
At postq̄ CY Rus, gemmis auroq̄, superbum,  
Victrici dextra felix prostraverat hostem,  
Et preda inter ductum jam imponeret ipsum  
Ultrici flamma, tum quas agitasset inani  
Spes animo tandem cognovit corde trementi  
Cræsus. tum tandem didicit, quàm vera Solonis  
Vox fuerat, qua respicere ad spacia ultima vita  
Iussus erat; tum cognovit, quod fulva metalli  
Congeries, vastiq̄, auri preciosus aceruus.  
Non salvare queant regnum, & regno Induperan-  
Num verò densus miles confinia regni (tem.  
Dilat are potest, si qui Dux imperat ipsis  
Stulticia effrenes malè prudens laxet habenas?  
Fervidus innumeras XERXes validasq̄, cohortes  
Classemq̄, armatam, & rutilantes are cateruas (tes  
Legerat, illarum ut pariter fama, ministiq̄,  
Gracia mœstifico trepidaret pulsa tremore.  
Non secus, ut mare fit temulum, cū stringitur aura,  
Pulcra velut quatitur stridēti Fraxinus Austro.  
Verum, non numerus, non vis, sed viuida vincit  
Virtus: qua nescit fortuna cedere Virtus.

Sed



32

Sed neqꝫ cum paucis, si sint probitate probata  
Conspicui, & nulla viciorum labe notati,  
Improbilas aquanda venit, qua pondere montes  
Exuperet, turbavè excedat sydera cæli.  
Paupertas etenim, virtuti junctâ, priori  
Et potiore loco est, quàm dives copia rerum,  
Qua cupit aut metuit sordesqꝫ, amat & mala lustra.  
Quin patre qui multum obscuro & Thersite crea-  
Hectora si factis referat, pietate Davidem, (tus  
Ille magis placet his, qui vita & pectore puro  
Sunt, animumqꝫ gerunt in sano corpore sanum:  
Quàm pueri magnis è Centurionibus orti,  
Quèis prater veteres ceras, titulosqꝫ, superbos,  
Quos sermone crepant semper, nil nobile restat.  
Spretor erat superum Xerxes, contemptor & aequi,  
Vincula Neptuno minitans, cæloqꝫ tenebras:  
Exlex, mente ferox, cerebrosus, cui horrida semper  
Ventosa in lingua pedibusqꝫ fugacibus arma.  
Qui de illo, quem mente sua conceperat, igni  
Vel fumum Gracis conflagrandis satis esse  
Ducebat, prorsus non gnarius Martis & artis.  
Gracii, cultores aequi, timidiqꝫ DEorum,  
Dextris apprimè fortes, belloqꝫ secundi.

C 2

Docti



Docti pro patria & pro libertate beata  
Se pugna obijcere, & dulcem profundere vitam.  
Magni armis, rerum majores attamen usu,  
Versabantq; animos moderato in pectore magnos.  
Ergo LEONIDAS ingentia robora Xerxis  
Excipit, & paucis profligat milite Xerxen.  
Ipsa tercentum fusos videre Laconas  
THERmopylae, qui pro patria perfortiter omnes  
Occiderant: bis dena prius cum millia in hostis  
Agmine prostratos stygias Acherontis ad undas  
Misisent. Sed tam tumidas perferre cohortes  
Nec vastum potuit pelagus. SALAminia testis:  
Qua Xerxen, rursus superatum, praecipit anti  
Terga fuga dare conspexit, cymbaq; petentem  
Res patrias. at quem XERXEn? qui verberare virga  
Nuper cadebat Pontum, qui ponte utriusq;  
Terra, Asia Europaeq; oras conjunxerat audax.  
Qui sibi pollicitus fuerat, spe ductus inani,  
Sese non magno studio, facili ve labore  
Grajugenum subversurum res sedibus imis.  
Deniq; qui stolidus sibi convenisse putabat,  
Navigio ut latum terrae scinderet aquor,  
Utq; pedes per fluctivagas incederet undas.

Hic



32

Hic domibus Graijs, & terra pulsus Achiva,  
Turpis, inops, excors, celeri fugit ocior Euro.  
Tum verò clades tam pernicioſa ſuperbum  
Perdocuit Xerxen, foris haud quid ſeva valere  
Arma, domi ni conſilium & bene provida mens ſit.  
Sed nunquid dolus inſidus, fraudesq; maligna  
Conſervare valent regnum & regno induperantē?  
Nam GYGES erat Upilio, per lata balantes  
Paſcua lanigeras ducens. hunc annulus altos  
Extulit ad faſces, & ſceptra potentia GYGEN.  
Aſt tanta Majeſtati durabile quicq;  
Nil reliquum eſt, juſtum nil quicq;, nilq; beatum.  
Nam quod honeſti exſors, nec juſtum, necq; beatum  
Eſſe poteſt, non ſi deſcribas ultima regni,  
Oſtia qui ſolvit Phæbo contraria, Gange,  
Atq; papyriſeri taciturnis fontibus amnis.  
Contactu thalami Regis, furtisq; cruentis,  
Atq; ſui Domini furiali cade nefandus,  
Lydi conſcendit regni faſtigia GYGES.  
Unde graui ſcelere & truculenta fraude, Tyrannus  
Atq; ſuis Tragica vi civibus induperabat.  
Tuta autem ſtabilisq; diu Violentia non eſt.  
Cumq; ubi vis regnat furibūda, ibi præpta Voluntas  
Non



Non adsit, sit, cū consortibus imperet urbis  
Invitis NERO vel quisquam Dionysius, ipse  
Expositus sit cunctorum invidia insidijsq;  
Aut regno exutus turpem post ducere vitam  
Cogatur, vel fœdis territus undiq; culpis  
Ipsus presenti pariat sibi vulnere mortem.

Ergo non aurum, non Miles, fraus vè cruenta  
Conseruare valent regnum & regno Induperantè.

VIRTUS magnanimos Reges & regna tuetur.  
VIRTUS; qua diuum numen reuenter honorat.  
VIRTUS; qua Patria pater est, consortibus urbis  
Prefectus; Medicus; Curator; Pastor; Amicus.  
Nam tantis ciues virtutibus exornatum  
Heròæ observant, adamant, venerantur, adorant.  
Quos ut in officio Princeps facilesq; bonosq;  
Contineat, videat ne culta copia lingua  
Desit, qua ciues inter componere verbis  
Ingentes lites, & mollia fingere corda,  
Et possit mulcere animos. his tutior ibit  
Artibus instructus, quàm si vel copia Cræsi,  
Vel Xerxis miles, vel fraudes Gygis eundem,  
Aut conjuncta simul, Fraus, Miles, Copia cingāt.  
Discite,



125  
32

*Discite, qui rerum late moderamini habenas,  
Auro prudenter, prudenter milite vestro  
Uti: cum primis Pietas atq; incluta Virtus,  
Quam lepor & prudens decoret facundia lingua,  
Vos teneat. Sic invictum jungetis & ingens  
Prasidium vobis & inexpugnabile robur.*

D I X I.





Dixit dominus et facta sunt ei  
signa et portenta in caelis  
et in terra. Et facta sunt  
et facta sunt et facta sunt  
et facta sunt et facta sunt  
et facta sunt et facta sunt  
et facta sunt et facta sunt  
et facta sunt et facta sunt

D I X I



IN BIBLIOTHECA  
UNIVERSITATIS  
ROSTOCKENSIS











Non ad  
Invitis  
Expositus  
Aut regn  
Cogatur,  
Ipsus pra  
Ergo n  
Conser  
VIRT  
VIRTU  
VIRTU  
Praefectu  
Nam tan  
Herôa ob  
Quos ut  
Continea  
Desit, qu  
Ingentes l  
Et possit  
Artibus i  
Vel Xerxi  
Aut conju

consortibus imperet urbis  
el quisquam Dionysius, ipse  
rum invidiae insidijs,  
urpem post ducere vitam  
territus undiq, culpis  
t sibi vulnere mortem.  
non Miles, fraus ve cruenta  
regnum & regno Induperantē.  
animos Reges & regna tuetur.  
um numen reverenter honorat.  
tria pater est, consortibus urbis  
us; Curator; Pastor; Amicus.  
virtutibus exornatum  
damant, venerantur, adorant.  
Princeps facilesq, bonosq,  
re culta copia lingua  
ater componere verbis  
ollia fingere corda,  
imos. his tutior ibit  
quàm si vel copia Cræsi,  
el fraudes Gygis eundem,  
l, Fraus, Miles, Copia cingāt.  
Discite,

